Impotentia triplex esse potest, nimirum:

Perpetua, temporalis, Matrimonium *antecedens, subsequens, absoluta, respectiva.*

Impotentia absoluta

Dicitur ea, quae reddit virum impotentem ad omnes mulieres, mulierem ad omnes viros.

Impotentia respectiva dicitur

Ea quae reddit impotentem virum ad determinatam mulierem et mulier ad determinatum virum.

Ad cognoscendum quandonam impotentiae impedimentum contrahatur, regulas has praefigimus:

Impotentia perpetua et antecedens impedimentum dirimens affert, quoad omnes si est absoluta, quoad coniugem si est relativa; si est temporalis, antecedens non affert impedimentum dirimens; si impotentia est subsequens Matrimonium non dirimit.

Impotentia in sensu primae regulae debet esse certa.

Alias standum est pro Matrimonii validitate.

Ad dubia solvenda an impotentia sit perpetua vel temporalis, an praecesserit Matrimonium vel supervenerit,

Valde praesumptiones prosunt; quia si est certa evidentibus signis vel legitimis documentis est probata.

In dubio an impotentia praecesserit vel supervenerit,

Praesumitur praecessisse; si est naturalis et intrinseca; quia quae a natura sunt semper adfuisse censentur.

Impotentia accidentalis et extrinseca

Praesumitur supervenisse Matrimonio, maxime cum reclamatio contra eam post multum temporis a contracto Matrimonio proponitur.

In dubio an impotentia sit perpetua vel temporalis

Recurritur ad triennale experimentum, coniugibus triennium conceditur, quo simul vivant et coniugum officiis fungantur: eo lapso ac Matrimonio non consummato, impotentia praesumitur perpetua.

Observatis conditionibus a iure praescriptis circa nullitatem Matrimonii ratione impotentiae perpetuae,

Sententia nullitatis Matrimonii profertur, coniuges statim separantur, defensor Matrimoniorum appellat ad superiorem iudicem si sententia Matrimonium dissolvat et fit novus processus ad formam constitutionis Benedicti XIV. Si secunda sententia sit primae conformis et utraque nullitatem decernat, novi ineundi Matrimonii facultas conceditur illi coniugi, qui impotens non est, vel utrique coniugi, si impotentia sit tantum respectiva.

De impedimento Clandestinitatis.

Matrimonium clandestinum dicitur *improprie*

Ob defectum solemnitatis *extrinsecae.*

Matrimonium clandestinum dicitur *proprie*

Ob defectum solemnitatis *intrinsecae.*

Solemnitas extrinseca et accidentalis Matrimonii

In eo consistit, quod antequam Matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, publice denuncietur inter quos sit Matrimonium contrahendum, ut quicumque agnoverit inter sponsos aliquod esse impedimentum, illud teneatur revelare.

Solemnitas extrinseca et accidentalis Matrimonii

In eo consistit quod Parochus post factas denunciationes, vel obtentam ab iisdem iustis et dignis de causis ab Ordinario dispensationem, viro et muliere interrogatis, eorumque mutuo audito consensu, dicat: *Ego coniungo vos in Matrimonium* iuxta ritum suae provinciae.

Solemnitas Matrimonii extrinseca et accidentalis

In eo consistit quod Matrimonio contracto, sponsis, antequam simul cohabitare incipiant benedictionem nuptialem in templo Parochus impartiatur, alioquin Matrimonium ob defectum huius solemnitatis illicitum, non irritum est.

Denunciationes praescriptae a Tridentino quae appellantur *banna*, formaliter sunt facienda ut impedimenta detegantur.

Nempe, tribus diebus festivis continuis, ita tamen ut inter unam et aliam, una dies saltem interfluat libera, in unaquaque parochia, in qua sponsi habent domicilium habitationis, aut quasi domicilium, facta ultima denunciatione per diem adhuc est espectandum ut valeant.

Effectus denunciationum

De iure communi durat ad quatuor menses, post quod temporis spatium denunciationes repetendae sunt; nam si tanto tempore differatur Matrimoni celebratio, verendum est, ne nova sint suborta impedimenta.

Ordinarius super Matrimonii denunciationibus

Scilicet, si probabilis sit suspicio, posse Matrimonium per quempiam malitiose impediri; si vir et

dispensare potest, ubi digna et iusta causa intervenerit:

femina extra Matrimonium publice vivant; si Matrimonium iam contractum ob aliquod impedimentum nullum reperiatur et idcirco iterandum sit; si alteruter ex sponsis sit in periculo mortis et Matrimonium ad legitimandam sobolem ineatur; si nimium debeant erubescere sponsi ob magnam conditionis status aut aetatis inaequalitatem; si sponsi sint animo inconstantes; si adsit periculum scandali, gravis damni in spiritualibus bonis, aut temporalibus; si de Principum et magnatorum coniugiis agatur; si moraliter certum sit, inter contrahentes nullum esse posse impedimentum; si immineat tempus Quadragesimae aut Adventus et non expediat Matrimonium differe. Ratione qua Episcopus dispensare potest in his casibus, est quia Tridentinum rem totam in hac specie iudicio ac prudentiae Episcopi committit.

Absque peccato et gravi poena denunciationes omitti nequeunt.

Nam Matrimonium absque denunciationibus, vel iisdem dispensatione contractum, si forte sit nullum, iuribus non fruitur Matrimonii putativi et ex eo nata soboles non est legitima, licet parentes in bona fide fuerint et impedimentum ignoraverint.

Sacerdos Matrimonio absque denunciationibus assistens

Per triennium est ab officio suspendendus, et gravius adhuc puniendus, si culpae qualitas postulaverit.

Solemnitas intriseca et substantialis Matrimonii in eo consistit

Quod Matrimonium coram Parocho proprio, et testibus contrahatur.

. . . .

Tridentinum contractus Matrimonii clandestinos irritos prorsus et nullos esse decernit,

Prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.

Tridentinum mandat ut decretum nullitatis Matrimonii

In unaquaque parochia publicetur, et ut post triginta dies a publicatione vim incipiat habere.

Ad probandam publicationem Tridentini decreti circa Matrimonii nullitatem

Sufficit observantia et usus, ut pluries S. Congregatio declaravit.

Patet ex decreti Tridentini verbis circa Matrimonii validitatem requiri

Proprii Parochi et duorum testium praesentiam.

Iure proprii Parochi fruuntur,

Videlicet, Nuncii Apostolici pro sua provincia, Episcopi, Vicarii Capitulares et Generales, pro sua dioecesi.

Iure proprii Parochi non fruuntur

Vicarii Foranei pro suo districtu, neque Archiepiscopi pro sua provincia, nisi in actu visitationis, aut in casu apellationis.

Proprius Parochus ille dicitur

In cuius parochia sponsi domicilium habitationis, aut quasi domicilium habent.

Si sponsi ad diversas parochias pertineant

Alterutrius proprii Parochi praesentia sufficit, quia cum Matrimonium individuam causam habeat ubi valet ex uno, eo ipso ex utroqne latere firmum est.

Domicilium *originis*, sive naturale

Quisque habet in loco, in quo natus est si pater eius ibi habitaverit.

Domicilium habitationis sive *accidentale*

Quisque habet in loco, in quo habitat cum animo ibi perpetuo manendi.

Quasi domicilium est

Cum quis a loco veri domicilii discedens alio se transfert cum animo ibi manendi ad maiorem saltem anni partem.

Domicilium verum et quasi domicilium constituitur animo et facto,

Scilicet animo habitandi, et facto habitationis.

Satis declarato animo, ac posito facto

Quasi domicilium aut domicilium post mensem acquiritur.

Domicilium ad formam legum civilium

In quo adest animi declaratio, sed deest factum habitationis, ad Matrimonium contrahendum non prodest.

Circa Parochum hoc observandum est

Assistit Matrimonio ut testis authenticus, sive auctorizabilis et ab Ecclesia deputatus; ideo per hanc assistentiam non exercet actum Ordinis, neque proprie iurisdictionis; sufficit ut sit praesens, sponsorumque mutuum consensum intelligat. Parochus potest Matrimonio assistendi facultatem alteri sacerdoti delegare, non vero clerico, qui sacerdos non sit, quia in delegato Tridentinum qualitatem sacerdotis exigit.

Delegatio assistendi Matrimonio potest fieri

Specialiter, generaliter, scripto, viva voce, expresse et tacite.

Non sufficit delegatio praesumpta assistendi Matrimonio

Quia delegatio haec nullum mandatum continet, licet Parochus paratus sit concedere.

Ratihabitio Parochi assistendi Matrimonio, non sufficit ad eius validitatem,

Quia ratihabitio nequit retrotrahi ad defectum sanandum.

Delegatus specialiter alteri sibi commissam facultatem Matrimonio assistendi demandare nequit

Quia delegatus subdelegare non potest nisi sit delegatus a Summo Principe.

Delegatus generaliter, potest specialiter alium sacerdotem in casu particulari, in sui locum substituere,

Quia sic delegatus reputatur quasi ordinarius, cum sit ad universitatem causarum delegatus.

Circa testes haec observanda sunt:

Nempe tres, vel saltem duo debent esse Matrimonio praesentes et mutuum sponsorum consensum intelligere, probi et simul cum Parocho.

Peregrini, qui exteras petunt terras ea mente ut post aliquod tempus ad proprium domicilium revertantur,

Coram Parocho tantum proprii domicilii queunt contrahere Matrimonium, nisi alibi quasi domicilium sint assequuti.

Vagi qui suum reliquerunt domicilium, ut sedem sibi inquirant penes alias gentes et nullum habent domicilium

Coram Parocho loci in quo reperiuntur, valide Matrimonium contrahunt, etsi unus tantum sit vagus, quia ubi Matrimonium valet ex uno eo ipso ab utroque latere firmum est.

Parochus in quo reperitur vagus

Est proprius vagi Parochus, aliter nullum haberet.

Ut Matrimonium vagorum licitum sit

Diligens per Parochum instituenda est inquisitio et specialis per Episcopnm est concedenda licentia.

Tridentini decretum, circa Matrimonii clandestini, praescripta suam habet vim

In omnibus parochiis, in quibus fuit publicatum, aut usu receptum veluti publicatum.

In parochiis in quibus, ob publicationis conditionem nihil innovatum est,

Servandum est ius antiquum, iuxta quod Matrimonia clandestina sunt illicita sed valida.

Matrimonium clandestinum

Est illud, quando sponsi aggrediuntur Parochum

cum testibus, coram quibus mutuum emittunt Matrimonii consensum.

improprie dictum

Quoties Matrimonium clandestinum contingat, tenetur Parochus denunciare Episcopo.

Episcopus ea de re processum fieri mandet et rite examinatis testibus et sponsis et omnibus rite cognitis, suam pronunciet sententiam, qua validum aut nullum declaret Matrimonium prout sit.

Matrimonium clandestinum contrahentes

Graviter peccant et ab Episcopo graviter sunt puniendi.

De dispensatione a Matrimonii impedimentis.

Super impedimentis impedientibus tantum regulariter Episcopus dispensat

Quod ius ex longaeva et generali consuetudine est eidem acquisitum.

Episcopus non dispensat in voto castitatis et ingrediendae Religionis, absolutum et perpetuum

Quod est reservatum S. Pontifici; votum temporale et conditionatum non est S. Pontifici reservatum proinde Episcopus dispensare potest.

Episcopus non dispensat in sponsalibus legitime contractis

Quia conventionum vim, contrahentibus invitis, evertere nequit, licet possit quandoque declarare, sponsalium obligationem esse rescissam, cum adest aliqua iusta causa.

Episcopus non dispensat super impedimentis,

Scilicet, super haeresi, dissensu parentum cum iuste dissentiunt, defectu status liberi.

Super impedimentis dirimentibus quandoque datur dispensatio

Quae tunc solum potest habere locum, cum ex lege ecclesiastica impedimenta sunt constituta.

Impedimentis iuris naturalis et divini nulla esse potest dispensatio:

Quia inferior, uti Concilium Generale, S. Pontifex, legem superioris, Dei, tollere vel in ea dispensare nequit.

Iuris naturalis impedimenta sunt

Error circa personam, cognatio naturalis in linea recta et in linea transversali in primo gradu, affinitas ex Matrimonio in linea recta in primo gradu, vis, metus, ligamen ubi Matrimonium sit consummatum, et impotentia.

Etiamsi lex impedimenti humana auctoritate

Nempe Papa non solet dispensare pro foro externo super impedimento criminis, Ordinis, Voti solemnis,

queat auferri, in ea tamen interdum dispensari non solet.

affinitatis in primo gradu lineae transversae, consanguinitatis in primo gradu et secundo mixto lineae transversae et cognationis spiritualis ratione paternitatis et filiationis.

S. Pontifex facile dispensat in impedimento in quo solet et dispensare potest

Si agitur de Matrimonio iam contracto, etiam ex sola ratione iam contracti Matrimonii, maxime si sit consummatum, modo bona fides adsit ex unius saltem coniugis parte.

Si agitur de Matrimonio contrahendo aliqua iusta causa ad dispensandum requiritur:

Nempe bonum pacis, angustia loci, defectus competentis dotis, aetas feminae, quae usque ad annum vigesimum quartum innupta sit, praerogativa personae, conservatio familiae illustris et nobilis, excellentia meritorum in Ecclesiam, infamia mulieris ex nimia cum sponso habita familiaritate orta, proles iam suscepta et etiam copula habita, evitatio alicuius gravis scandali.

Non ex unica et qualibet causarum super quolibet impedimento et cum qualibet persona S. Pontifex dispensat:

Quia saepe unica causa non sufficit, quae alteri adiuncta prodest, ob regulam iuris, *singula quae non possunt, simul collecta iuvant.*

S. Pontifex dispensare solet super impedimentis Matrimonii

Per S. Poenitentiariam si impedimenta sint occulta, aut per Datariam si sint publica.

Dicitur occultum

Quando adeo est secretum ut nulla ratione possit probari vel cognoscitur a paucis.

Impedimentum dicitur publicum

Si agnosceretur a levibus mulierculis, aut homuncionibus, qui nequeunt silere, haberetur ut publicum licet actualiter non esset.

S. Poenitentiaria dispensat iure ordinario

In occultis impedimentis, et etiam dirimentibus, in quibus dispensare solet S. Pontifex, tum ad contrahendum, tum ad revalidandum Matrimonium.

S. Poenitentiaria non dispensat iure ordinario, impedimenta in quolibet gradu consanguinitatis, affinitatis ex Matrimonii, et cognationis spiritualis in casu Matrimonii contrahendi

Ea ratione, quia licet haec impedimenta sint occulta, in iure tamen sint publica, ita Bull. *Pastor bonus* Benedicti XIV.

S. Poenitentiaria extra ordinem ex speciali S. Pontificis concessione dispensat in impedimentis publicis

Quod cum facit, solet rescriptum ita inchoare: *Ex audientia Sanctissimi,* vel alio modo specialem Papae auctoritatem indicat.

Parochi et Confessarii in libello supplicationis, debent accurate proponere

Speciem et numerum impedimentorum; iustam dispensandi causam; an dispensatio petatur ad contrahendum Matrimonium vel Matrimonio iam contracto; an Matrimonium contractum sit factis vel dispensatis publicationibus; an contractum sit bona vel mala fide; quo gradu consanguinitatis vel affinitatis oratores sint coniuncti; in cognatione spirituali an sit filiatio, vel compaternitas simplex; in crimine, an sit cum vel sine machinatione. Reticito nomine oratorum et dioecesis, supplex libellus Maiori Poenitentiario porrigitur.

Accepto a S. Poenitentiaria rescripto,

Eius clausulae sunt observandae et fideliter executioni mandandae.

Rescriptum S. Poenitentiariae ita dari solet

Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario, Doctori in S. Theologia aut in iure Canonico.

Ad valide dispensandum necesse semper est

Ut executor designatus habeat actu facultatem ab Ordinario audiendi confessiones illius, cum quo dispensare debet.

Dataria Apostolica

Dispensat in impedimentis publicis.

Libellus Datariae offerendus, continere debet ad obtinendam dispensationem de publicis impedimentis

Speciem et naturam impedimentorum, una cum linea et gradibus ex utraque parte. Nomen et cognomen oratorum, una cum designatione dioecesis, ad quam pertinent. Causam dispensandi, quae potest esse *motiva* et *principalis,* vel *impulsiva* et *secundaria.* Incestuosum commercium inter oratores habitum ante Matrimonium et post Matrimonium; an illud cum mala vel bona fide in faciem Ecclesiae contraxerint. Et declarationem status fortunarum ipsorum oratorum.

Dicitur a Dataria dispensatio concedi in forma ordinaria

Cum solvitur a dispensatis solita pecuniae taxa, sive *compositio,* sive *componenda.*

Dicitur a Dataria dispensatio concedi in forma pauperum

Dum agitur de pauperibus et miserabilibus personis, quae ex suo labore et industria tantum vivunt.

Rescripta Pontificis dispensationum in Matrimonii impedimentis

Non solent continere gratiam factam, sed gratiam faciendam.

Gratia dispensationum in Matrimonii impedimentis

Committi solet Vicario Generali illius dioecesis ad quam pertinet sponsa.

Gratia dispensationum in Matrimonii impedimentis

Non committi solet Vicario Capitulari qui alterius nequit executioni mandare rescripta ad priorem Vicarium Generalem directa.

Vacante Sede Episcopali, rescripta dispensationum in Matrimonii impedimentis

Committi solent Vicario Generali Episcopi vicinioris, non autem Vicario Capitulari.

Si antequam rescriptum dispensationum in Matrimonii impedimentis, sit executioni mandatum, status rei mutetur,

Rescriptum corruit et exequi amplius nequit, sed necesse est iterum ad S. Pontificem recurrere pro novo rescripto, quod ex stylo Curiae, *Perinde valere* appellatur.

Mutatio rescripti dispensationum in Matrimonii impedimentis suborta

Non potest amplius nocere, nisi novum sit impedimentum.

In executione rescripti dispensationum in Matrimonii impedimentis

Tenetur executor accuratissime rescripti clausulas sive formulas observare, quae maxime in rescriptis Datariae plures sunt.

Quando dispensatio datur, Matrimonio iam contracto,

Executor, facta dispensatione, debet satagere ut Matrimonium, quo citius fieri poterit, revalidetur.

Revalidatio fit

Per novum utriusque consensum.

Si agatur de impedimentis publicis, emittendus est coram Parocho et testibus ad formam Tridentini

Nam cum primum Matrimonium publice sit nullum, publice quoque coram Parocho et testibus revalidari debet.

Si agatur de impedimento occulto, sufficit, ut sponsi sine Parochi et testium praesentia novum sibi praebeant Matrimonii consensum de praesenti.

Nam hoc casu Matrimonium publice consideratur ut validum et dispensatio occulti impedimenti a S. Poenitentiaria concessa in foro exteriori non prodest.

Novus utriusque coniugis consensus requiritur, sive uterque sive unus tantum impedimenti sit conscius

Quia novum Matrimonium sine novo coniugis utriusque consensu esse non potest.

Coniux impedimenti ignarus de nullitate prioris consensus, si sciens de nullitate Matrimonii, novum consensum dare recuset, et Matrimonii solutionem reclamet, cum magno fidelium scandalo et filiorum damno;

In hac gravissima difficultate securius esse medium recurrendi ad Poenitentiariam cum accurata descriptione status rei, omnium difficultatum et periculorum, ut aliquid de severitate remittat, vel a S. Pontifice ob naturalem consensum ab initio ad Matrimonium praestitum a nova praestatione consensus dispensationem obtineat, quam dispensationem *in radice* vocatur.

Dispensandi in radice forma in eo consistit

Quod Pontifex in casu particulari abrogat legem afferentem impedimentum et irritat, vel revocat omnes effectus quos in eodem casu ipsa abrogata lex produxerat.

Iure Episcopus dispensare non potest in dirimente Matrimonii impedimento publico

Quia Episcopus Ecclesiae legem auferre non potest, nisi id fiat ex consuetudine, aut ex tacita S. Pontificis voluntate.

Si impedimentum est ocultum, aut agitur de Matrimonio iam contracto, aut de Matrimonio contrahendo.

Si primum, Episcopus dispensare potest, quia praesumptam habet facultatem a S. Pontifice adeo consuetudine firmatam, ut indultum videatur aemulari. Si secundum, ob eandem rationem Episcopus dispensare potest, si adsit vere gravis et urgens necessitas.

Solent Episcopi a S. Sede obtinere specialem delegationem circa quaedam occulta impedimenta dispensandi

Ut super affinitate ex illicita coniunctione producta, crimine absque machinatione, consanguinitate et affinitate tertii et quarti gradus.

De Divortio.

Ex veteri et novo iure liquet a contracto Matrimonio sponsos quandoque recessisse per *Repudium* et *Divortium*

Quod satis probant Digestorum, Codicis Iustinianei, et Decretalium SS. Pontificum singulares tituli, de divortiis et repudiis.